



F L O S C U L I
BLASPHEMIARVM
 J E S U I T I C A R U M.

Ex tribus concionibus super
 BEATIFICATIONE
 I G N A T I I L O J O L Æ
 HABITIS, DECERPTI;

Vnà cum

SORBONÆ PARISIEN-
 SIS CENSURA:

*Qua Jesuitæ errorum, hæreseon, impie-
 tatis & blasphemiarum conuincun-
 tur & damnantur.*



Anno M. DC. XII.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the middle section of the page.

Faint, illegible text in the lower middle section of the page.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through from the reverse side.



I.



PIO ET CANDIDO
LECTORI:

Joachimus Ursinus Anti-Jesuita:

S.

Unter omnes omnium Monachorum Familias alias, IESUITARVM Societatem esse longè pestilentissimam, jam-dudum orbi Christiano innotuit, & deinceps magis magisq; indies innotescet, spero. Quæ Secta, ut authorem habuit primum (Diabolum tamen excipio) Ignatium Loiolam, Marranum, militem olim crudelissimum, & sanguinis Christiani sitientem, qui ex desperatione in Monachum evaserat: Sic Patrono gaudet magno, Paulo illo III. Sedem Antichristi tum occupante, hominis monstro, & diabolo incarnato, obq; varia & immania quidem illa scelera, Simoniam dico, veneficia, scortationes, adulteria & incestus, (referens cohorresco) multis nominibus etiam aliis, apprimè nobilitato; scilicet, ut Sanctissimus & Beatissimus Pater audiret. Hic igitur Sectam illam confirmavit; nimirum dignum patellâ operculum.

Dici non potest, ut lolium istud infelix in agro Domini ceperit incrementa. Etsi enim pestilentissimus ille Monachus, Loiola, septem primùm sibi sodales, & mox

A 2 præ-

præter hos, tres saltem alios adscivit, post autem paulò de sexaginta Pontifex consensit: annis tamen insequentibus ita numerus excrevit, ut multas myriadas excedat.

Siquidem nulla penè provincia est, in qua Iesuitæ Collegia non aperuerint, de quibus ipsi ipsi-met, quid in illis moliantur, pronuntiant, & suo se indicio Sorices produunt.

In literis enim ad Regem Hispaniarum, (jam-dudum Monarchiam apud Europæos, ac proinde hoc mirificè affectantem, quæ ratione Germania quoq̃, charissima patria nostra, Respub. hæctenus libera, deinceps iugo Hispanico, & Inquisitioni crudelissima, collum subdere cogatur) per-scriptis, Iesuitæ Hispano, de eo, quod molitur, obtinendo, spem facere penè exploratam, nihil dubitant. Siquidem in literis istis ex Belgio, in Hispaniam transmissis, at mirâ Dei providentiâ, (nimirum, ut istorum Nebulonum & Tenebrionum artes sceleratæ & molitiones Catilinaria in lucem producerentur, interceptis) Iesuitæ, patriæ nostræ proditores, sibi quidem gaudent, at Hispano gratulantur, & istis sanè id verbis, quorum nunc sensum retulisse suffecerit: Quot ipsi (Iesuitæ) Collegia in Germania aperuerint & possideant; tot propugnacula Hunc (Hispanum) ex suis partibus habere, toties eundem quoque pedem latum, & altè quidem figere, in Germania, ad obtinendum tandem negotio minore, dudum magno studio & labore stupendo, incredibili etiam sumptu & Punicâ fide quasitam **MONARCHIAM.**

*Vt rectè ac concinnè de perditissimâ hâc & omnium
aliarum, quotquot uspiam extant, scelestissimâ sectâ Iesui-
ricâ pronuntiârît, quicumq; pronunciauit:*

*Seducitor Sueco; Gallo Sicarius; Anglo
Proditor; Imperio Explorator; Davus Ibero;
Italo Adulator. Dixi teres ore SUITAM.*

*Sed quorsum delabor? In his igitur Collegiis Iesuita non
rudem solum plebeculam miserè seducunt, sed & magni
nominis viris turpiter imponunt, inq; primis teneram Iu-
ventutem, quæ horum magistrorum fidei atq; curæ commit-
titur erudienda atq; informanda, fœdissimè corrumpunt,
ei cum lacte materno venenum pestilentissimum instillantes.
Vt enim in Diabolo duplex in primis artificium deprehendi-
tur, quod Mendax est, quod Homicida: Sic Charissimi
Satane filij, Iesuita, aperam navant sedulo, ut juventu-
tem Scholasticam, in arte utraq; impudenter Mentiendi
alterâ, quam Aequivocationis nomine indigitant; alterâ
sceleratè aliorum jugulum petendi, quæ execrando hoc apho-
rismo nititur: Non esse hæreticis fidem servandum, quan-
tumvis sacrosancti juramenti religio intervenerit; Et isto
altero axioma egregio: Licitum esse hæreticos, quos vo-
cant, horumq; fautores, Politicos illos Catholicos, qui pa-
cem potius servare, quàm auxilia ad hæreticorum oppres-
sionem conferre malunt, igni, ferro, veneno, pulvere pyrio,
bello, & id genus aliis machinationibus opprimere, strenuè
conduces faciant. Hem, egregia duo nobilitatis Iesuiticæ in-
signia!*

*Verùm hæc ludum atq; jocos dixeris, si cum horrendis,
in sacratissimam Dei præpotentis majestatem blasphemis ea
conferre lubeat.*

Crimen impietatis multiplex Papa Romanus, filius il-

le perditionis, incurrit. Quàm is enim sceleratè impius, dum divinitatem sibi arrogat, se Deum appellari gaudet & gloriatur: Et infinitam sibi potentiam adsciscit: Et se sponsum esse Ecclesie fingere non erubescit: Et sibi in omnibus obædiendum dicitur: Et sedem suam esse adeò sanctam fingit, ut quicumq; impius, perjurus & sceleratus, in ea consederit, confestim ex ipsa sessione sanctitatem hauriat: Deniq; penes se plenariam esse ex ipsis etiam inferis liberandi potestatem comminiscitur: Et quid non?

Singulatim obstupescas ad Monachorum Franciscanorum blasphemias horribiles, qui suæ familie autorem, Franciscum, in precibus Iesum typicum salutant, cujus corpori Christus ipse suorum vulnerum stigmata impresserit, Et qui sit Imago Christi, ut Christus Patris, Et in cujus corpore Christus, tanquam inspeculo imago, appareat: Qui etiam à v. p. p. p. fuerit: Qui in Christi latere in cælis latitet: Qui Iohanni Baptista & Apostolis preferendus sit, egregiâ hac ratione in medium productâ, quia is, (quod Apostoli nusquam fecerint) etiam femoralia, (sit honos auribus) rejecerit, ut Christum sequeretur. O tempora! ô mores!

Audiamus, si placet, quid de Dominico Dominicani. Non erubescunt impudentissimi isti Monachi, Monachum illum fœdissimum, cum Servatore nostro Domino Iesu Christo, in capitibus pluribus, quæ doctrinam, quæ vitam, quæ miracula concernunt, conferre. Sed quid dico, conferre? Quin immò, illi etiam præferre eundem non verentur. De vocatione autem illius & missione miraculosâ ad homines convertendos, per Mariam factâ; ut & de illius, unâ cum Ordine suo in cappa Mariae latitatione, quàm fabulosa & insulsa proponunt? O bone Iesu, quis hæc Infernus eruçtavit!

In medium producere libet sanctissimos patres, IESUITAS, viros eruditos & graves: his enim nominibus se

f.

se indignant ipsi, scilicet mutuam muli. Neq; tamen propositum mihi est, hic loci, pestilentissimos errores & Blasphemias in aliis Doctrinae Christianae capitibus commemorare, nisi ex illis, quae Blasius Vega in Apocal. Sect. 12. & 20. Iohannes Osorius in concionibus Annunciationis, Conceptionis & Assumptionis Mariae, Item de devotione Mariae: Horatius Tursellinus de historia Laureta. In Epist. dedic. Et Martinus Delrius in Cantic. cap. 1. Sect. 2. in verba: ET COLLUM TVVM &c. scripta reliquerunt, paucula haec Iesuitica cognoscere lubeat:

Sole (Christo) de mundo sublato, hodiernâ die continuò universae Ecclesiae oculi in MARIAM, quae Luna est, conversi sunt: Ad eam universi fideles accedunt, ut lumen recipiant. Quemadmodum Rege absente, ad Reginam, quae vices Regis gerit, omnes veniunt, ut ab eâ beneficia petant: Accedamus ergo ad eam, ut nobis gratiam impetret.

Et hoc: Constituta est quippe Maria super omnem Creaturam: & quicumq; Iesu curvat genua, Matri quoq; pronus supplicat: Et Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quam EANDEM.

Et istud: Sine Mariâ Deus nihil decrevit dare. Caput est Christus, Maria collum; quia omnis influxus à capite per collum derivatur: ut omnes intelligant, se, quicquid ab aeterno illo augusto omnium bonorum fonte in terras profluat, sumere per Mariam.

Iterum: Obedientia Mariae similis est facta obedientiae Christi. Magna ergo in hoc laus Mariae, magna eius gloria: quod Imitatio eius gloriae EXAEQUATUR obedientiae Christi, quam imitatur illa.

Denique: Dedit tibi, Maria, tota Trinitas nomen, quod post nomen filij tui, est super omne nomen: ut IN NOMINE TUO FLECTATUR OMNE GENU caelestium, terrestrium, inferorum, &c.

Suffecerit quatuor lectissimos flosculos, qui in illorum hortulis nuper nati sunt, modò delibasse, ex quibus afflatus odor, Iesuitis unis, sanè esse suavis & jucundus admodum videtur: at ex eorum tamen intolerabili fœditate, hoc est, ad ista, & hoc genus alia Iesuiticorum dogmatum portentosa;

*tenta, mirum, n̄ retrogrediatur Sol! n̄ tellus contremiscat!
Nolo h̄c exclamare: Non possum me tamen continere,
quin cum insigni illo Iesu Christi Martyre, Policarpo, inge-
miscam: O Domine Iesu, in quæ nos tempora reservasti!*


*Et quidem, ne fides dictis derogetur, en Sorbonæ Pa-
risiensis censura abominabilem & ipso fulmine dignum li-
bellum lata, quem scelerati Iesuite sub titulo, Trium con-
cionum super Beatificationem Loiolæ, publicarunt,
tanquàm à Dominicanis Hispanis habita fuissent, & in Gal-
licum idioma translata. Sed fraus suboluit. Quàm illa refer-
ta sint Blasphemis & asininitatibus, Lector benevole, vix
credas. Nihil stultius Sol vidit, magisq; ridiculum, si in sa-
cris ridiculum aliquid esse potest. Eas, Facultas, quam vo-
cant, Theologica Parisiensis, unanimi consensu & iudicio
gravissimo, hereseos damnavit. Id quod ex censurâ Sorbonæ,
quæ sequitur, cognoscere licet.*

*Eant nunc pessimè feriati Iesuitæ, & se Seductores
esse, Hereticos esse, Blasphemos esse, negent. Mirum, me Chri-
ste, n̄, in isto speculo sese intuentes, sui ipsos tandem pudeat!
cujus ipsum etiam Diabolum pudere possit, modò aliquis sal-
tem in illis pudor.*

*Tecum, Lector Christiane, hæc communicare visum
fuit, ut miram Dei sapientissimi providentiam exosculeris,
dum inter se Sorbona Iesuitæ (utriq; Catholici, id est, pon-
tificij, ac proinde Charissimi fraterculi) committuntur,
atq; sedem Antichristi, quæ est nobilis istius Babylonici Scorti
pestilens Cathedra, jamjam ruinam minitantem, modis,
quibus possunt, omnibus, suffulcire conantium, lingue miri-
ficè confunduntur, ut ab illâ hi errorum hereseon, impieta-
tis, blasphemiarum, suo certè merito, damnentur. Cave itaq;
de Iesuitis aliter, quàm de hereticis & Blasphemis, sentias,
aut aliter pronuncies.*

Quod

Quod reliquum est, Deum ter illum quaterq; Opt. Max.
 us ardentissimis mecum fatigare ne desine, qui Eccle-
 siae custos, hanc tueri, & vocem Evangelij ad seros ex ordi-
 ne posteros nostros propagare dignetur, at Iesuitarum trucu-
 lenta consilia atq; conatus confundat ac cohibeat, & mala
 universa à nobis procul avertat. Vale in domino. E no-
 stro Museo. III. Id. Decembr. ex memoriâ Sanctissimi Marty-
 ris Henrici Sudphanicnsis, crudelissimè à Pontificiis in
 Dietmarsia interfecti, funesto. Anno Christo Servatoris,
 M. DC. XI.



F L O S C V L I I E S V I T I C I .

ANno Domini 1611. die primâ VIIIbris Sacra
 Theologiæ Facultas Parisiensis, post sole-
 mnem Missam d. S. S. sua ordinaria habuit
 Comitia, in Aulâ Collegii Sorbonæ, in-
 quibus honorandus Magister Johannes Tilefac. Doctor
 ejusdem Facultatis, Curio S. Johannis, Ecclesiastes Pa-
 risiensis Ecclesiæ, retulit, aliquos viros doctos, graves
 & pios huius urbis, ad se detulisse quendam librum, in-
 scriptum: *Tres eximia Conciones in solemnifesto Canoni-
 sationis, sive Beatificationis, Gloriosi Patriarchæ, Beati Igna-
 tij, Fundatoris Societatis Iesu, quarum prima per Reverend.
 Patrem & Doctorem Petrum de Valderanna, Priorem Con-
 ventus S. Augustini Hispalensis, Altera per Reveren. Pa-
 trem & Doctorem Fr. Petrum Dozam, Ordinis S. Dominici
 in Conventu Valentia; Tertia per Reverend. Patrem Præ-
 sentatum, Fr. Iacobum Rebulosam, Prædicti Ordinis S. Do-
 minici in Vrbe Barcelonensi, &c. Excusa Pictavi per Anto-
 nium*



*nium Menierum impressorem & Bibliopolam Ordinarium
Regium, Academiae Piet. 1611.*

Prædictos autem viros graves scire percipere, utrum
Facultas Parisiensis gratam ratam habeat approbatio-
nem earundem trium concionum, factam à Fr. M. Mat-
thæo Le Heurs Doctore ejusdem Facultatis, & quid
præsertim sentiat de quatuor articulis seqq. qui permul-
tis Catholicis offendiculum præbent.

Primus habetur in Concione Fr. Petri de Valderiana,
„ pag. 54. & 55. cum ait: *Scimus equidem Moysen virgâ*
„ *suâ, quam manu ferebat, miracula in aere, in terrâ, in a-*
„ *quâ, in petris & passim ubi consultum illi visum fuit, stu-*
„ *penda edidisse & admiranda, adeò quidem ut ipsum Pha-*
„ *raonem cum universo exercitu in mare Rubrum præcipitâ-*
„ *rit & submerserit, verû in effabilis divini nominis, quod*
„ *virgæ isti seu baculo insculptum fuisse Doctus ille testatus*
„ *Episcopus Avillanus asserit, virtute, ista miracula edita*
„ *fuere. Quòd autem creatura, agnoscentes supremi Regis*
„ *& Domini sui ordinationes nomine ejus signatas & sub-*
„ *scriptas, obedientiam illi præstiterint, hoc non tanti erat*
„ *faciendum, nec etiam magis mirum nobis videri debet,*
„ *per Apostolo tot tantâq; contigisse miracula, siquidem ea*
„ *omnia in nomine Dei fiebant, operante videlicet virtute*
„ *ejus & potentiâ, quam illis concesserat, & tanquã sigillo suo*
„ *consignarat, cum ait: In nomine meo Dæmonia eijcient,*
„ *linguis loquentur novis &c. Quòd autem Ignatius suomet*
„ *ipsius proprio nomine chartæ inscripto, plura quàm ipse*
„ *Moyses, miracula, & totidem edat, quot Apostoli; quòd*
„ *Sigillum ejus tantæ auctoritatis penes creaturas obtineat,*
„ *ut subito illi obædiant, Hoc, hoc ipsum est, quod in summam*
„ *ejus admirationem nos inducat.*

„ Secundus, pag. 81. Ejusdem concionis; *Quoad usq;*
„ *Ignat-*

Ignatio vivere hic contigit, vita ejus & mores tam gra-
ves, tam sublimes, ipso etiam caelo sic statuente, extiterunt,
ut nemini nisi Pontificibus, Divo scilicet Petro & Impera-
tricibus, Deiparae videlicet virgini: denique Monarchae su-
premo, Deo Patri, ejusque sanctiss. filio, eos intueri & vide-
re, tanquam ex singulari gratia fuerit concessum.

Tertius In Concione Fr. Petri Dozæ pag. III. & IIII.
Extra dubium est, reliquos religiosorum Ordinum fun-
datores in favorem Ecclesiae missos fuisse, &c. NOVISSI.
ME AVTEM DIEBUS ISTIS LOCUTVS EST NOBIS
IN FILIO SVO IGNATIO, QVEM CONSTITVIT HÆ-
REDEM VNIVERSORVM, &c. nec ei quicquam in hoc
genere laudationis deesse videtur, quàm, PER QVEM
FECIT ET SECVLA.

Quartus extat in concione Fr. Jacobi Rebulosæ
pag. 207. Ignatius Martyr tam singulari affectu erga S.
Patrem Pontificem Romanum, tanquam legitimum suc-
cessorem Iesu Chirsti ejusq; vicarium interris, &c. devotus
erat.

Quâ auditâ supplicatione & præfatis quatuor arti-
culis maturè & diligenter examinatis: Facultas atten-
dens, ex verbis etiam malè prolatis hereses nasci, ut
apud Magistrum Sententiarum docet Beatus Hierony-
mus, (non obstante intercessione Magistri Andreæ Du-
cal, asserentis prædicta omnia benignis interpretationi-
bus posse approbari) censuit:

Quòd ad primum, istam loquendi formulam, quâ
nomen Creaturæ nomini Dei omnipotentis æquari vi-
detur: Præterea extenuantur miracula, eò, quod Dei
nomine edita fuerint: denique miracula non ita certa,
miraculis indubitata fide catholicâ tenendis præferun-
tur, esse scandalosam, erroneam, blasphemam atq; impiam.
Quoad

„ Quoad secundum, *istam assertionem, quæ fingit aliquid boni Deo accessisse ex visione creature, scandalosam esse, ac manifestam heresin præ se ferre.*

„ Quoad tertium, *accommodationem hujus textus literalis D. Pauli: Novissimè autem, &c. alteri quàm Christo, esse scandalosam, erroneam, & meram Blasphemiam & impietatem redolere.*

Quoad ultimum articulum, duas habere partes inter se pugnantes, quarum altera alteram destruit: Et posterior quidem; videlicet, Papam esse vicarium Christi, in terris, Catholica est. Prior verò: *Papam esse legitimum successorem Christi, modum loquendi continet omninò hæreticum.*

Signè C. petit Jean.

FINIS.



Pon Tn 6037


ULB Halle 3
002 678 25X



St.

VD 17 M.C.





prae
sex
num
legi
mole
Me
Et an
nost
& l
scrip
spem
in lit
Dei
Tene
lucen
prod
& ist
cerit
ape
Hu
ties
quid
tan
Es l
&
CH

Et autem paulò de
insequentibus ita
ccedat.
qua Iesuita Col-
met, quid in illis
Sorices produunt.
m, (jam-dudum
hoc mirificè affe-
charissima patria
s jugo Hispanico,
ere cogatur) per-
itur, obtinendo,
itant. Siquidem
missis, at mirà
Nebulonum &
es Catilinaria in
ta, patrie nostrae
no gratulantur,
m retulisse suffe-
n Germania
ropugnacula
s habere, to-
um, & altè
obtinendum
nagno studio
iam sumptu
ONAR-

VI

